

n. 1144. *Schrader* Germ. I. p. 3. *Vest Manuale* p. 791.
Flora Dan. Tab. 15.

Ruppia aquis marinis innatans, flexuosa, perennis. Möh-
ring in *Philosoph. Transact.* 1743. p. 217.

$\beta.$ *major*, foliis latioribus.

Zostera oceanica. Weber in *Wiggers Fl. Holst.* p. 65.
Radix fibrosa. Caulis teretiusculus, laeviter compressus, fili-
formis, articulatus, geniculis aequalibus, inferne repens et ad
genicula radicans, tunc adscendens, debilis, dichotomus, folio-
sus, brunneus, opacus, bi-ad tripedalis. *Folia* alterna, sessilia,
semiamplexicaulia, linearia, graminea, plana, herbacea,
obtusa, integriforma, glabra, striata, isthmis transversalibus
intercepta, nervis tribus, in junioribus obsoletioribus, in exole-
tis evidentioribus, notata, semipedalia et pedalia, sesquilinca ad
lineam lata, ad aquae superficiem natantia. *Stipula* solita-
ria, oblonga, obtusa, subherbacea, semiuncialis et uncialis,
folium basi cum spathae pedunculo arce vaginans, demum
marcescens et evanescens. *Spatha* monophylla, pedunculata,
infra medium latere dehiscens margine membranaceo, florifera,
supra medium in folium producta, reliquis foliis simile, ad ba-
sin et apicem spadicis geniculo interstincta. *Pedunculus* e sti-
pulae vagina egrediens, folio oppositus, compresso-planus, in-
ferne attenuatus, superne versus spadicem magis dilatatus, un-
cialis et sesquiuncialis. *Spadix* linearis, planus, in spathae
vagina latitans illique dorso accretus, antrosum secundum to-
tam longitudinem genitalibus nudis obsessus.

Gemeiner Wasserriemen.

Prope litora ad maris fundum praesertim arenosum Adri-
atici (*Scopoli. Host*), Baltici (*Timm. Weber*), Septentriona-
lis (*Trentepohl, Mertens*). 24. Fl. August.

2. *Zostera nana.*

Z. caule compresso, reptante, geniculis incrassatis, foliis
uninerviis, stipulis membranaceis, spathae foliaceae pedunculo
filiformi, aequali, compresso.

Zostera uninervis. Vahl Enum. Plant. Vol. I. p. 14.

Zostera marina. β. angustifolia. *Flora Dan.* Tab. 1501.

Phucagratis minor. Caulini de Phucagr. p. 14. Tab. 2.
Usteri Anal. der Bot. Stück XI. p. 60. descriptio p. 47.
Tab. IV. (nec III.)

Primo intuitu *Zosteram marinam* juniores refert, cum qua
commistam observavit optimus *Mertens*; at distinctissima.
Differt: 1. Toto habitu teneriore. 2. *Caulibus* repentibus, radi-
easibus, apice tantum parum adscendentibus, compressis, ra-
tione parvitatis plantae duplo crassioribus; flavescentibus, niti-
dis, subpellucidis, geniculis incrassatis tumidiusculis. 3. *Foliis*
dimidio angustioribus, constanter uninerviis, laetus viridibus.
4. *Stipulis* mere membranaceis, laxioribus. 5. *Spathae pedun-
culo* filiformi, compresso, crassitie aequali. 6. *Spadice* duplo bre-
viore et paullo latiore.

Niedriger Wasserriemen.

In Insula Nordernay maris septentrionalis primo observavit
Prof. *Mertens*. 1824. 24. Fl. August.

Observe. I. Celeber. *Caulini* primus stipularum praesen-
tiam ostendit. Spadicem non foliorum vaginae insidere,
ut contendunt fere omnes auctores botanici, sed propria
Spatha pedunculata, apice folacea instructum esse, non
solum ex pedunculo patet, sed etiam ex geniculo, quo spa-
tha ad basin et apicem spadicis instructa est, quo vera
folia plane carent.

Observe. II. Maxime notabilis est naturae in hisce plantis Oe-
conomia! Harum scilicet et nonnullarum aliarum planta-
rum phaenogamarum, quae sub aquae superficie fructifi-
cationis negotium absolvunt, *Antherae* sic dictae, seu potius
conceptacula spermatica, polline non scatent, sed
ejusdem loco mueo filamentoso farctae observantur, cui
vesiculae spermaticae immixtae sunt. (Confer. *Roth*
Neue Beiträge zur Bot. I. p. 10 seq.)

D I G Y N I A.

3. CALLITRICHE.

LINN. Gen. Plant. ed. SCHREBER. n. 17. JUSS. Gen. ed. ROE-
MER. p. 24. GAERTNER de Fruct. Vol. I. p. 330.
Tab. 68.

Calyx nullus. *Corolla* Petala duo, incurva, canalicula-
ta, opposita. *Stamen* unicum. *Styli* duo, capillares, recurvi.
Semina quatuor, nuda, hinc marginata, conniventia.